

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Huswedel

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Huswedelius, Phil.  
pr. Prof. Ad Exequias ... Iuveni Henrico Wolfio, Hamburgensi ... paratas ... omnes  
omnium Academiae Cives invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777134365>

Druck    Freier  Zugang



PROGRAMMA  
Quo  
Rector Universitatis Rostochiensis  
**JOHANNES HUS-**  
**WEDELIUS**, Phil. pr. Prof.  
**EAD EXEQUIAS**  
Pio, modesto ac docto Juveni  
**HENRICO VVOLFIO,**

Hamburgensi in æde S. Jacobæ ad  
horam medianam primam patatas,

in Officiosè Sedulo omnes Academia Cives  
invitat.



**ROSTOCHI,**  
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typ.  
Anno 1638.

LB FP: Wolff, Heinrich 1638

**J**asonem illum principem Argonautarum singunt Poëtæ, ingeniosi fabulatores, expeditionem suscepisse in Colchidem velleris aurei acquirendi gratia, verum non sine multis & magnis periculis, nam & per scopulos concurrentes navigandum erat, & flammarum spirantes tauri subjugandi, & in soporem collocandus draco pervigil & alia ejus generis obeunda pericula. Sic solidæ eruditionis, quæ longè preciosior est aureo vellere, cupidi ac studiosi adolescentes iter suscipiunt varias in Academias, ut eam ad ipsantur, & adepti honorem divinū, Ecclesiæ & patriæ salutem, Reip. & societatis humanæ emolumentum promoteant. Sed, Deum immortalem! quot quantisq; mōstris obijciuntur quam certa, quā varia pericula obire coguntur, qui facinus tam præclarū, rei tā præclaræ & preciosæ causa, suscipere non verentur! Jason ille tot pericula non sustinuit, quid Jason? ne Hercules quidē tot monstris objectus est, qui cū leone & cum excetra, cum cervo, cū apro Aetolico, cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctatus vita incolumi ab iis recessit; nostri verò pietatis & eruditio-  
nis Argonautæ, cum ista monstra & plura & horribiliora sustinere coguntur, & sèpè vitam operi impen-  
dunt. Igitur ut parentes illorum Thessalorum pro  
liberis absentibus vota faciunt, pronatis dona rece-  
ptis offerunt; ita nostrorum quoq; adolescentum pa-  
rentes

rentes incolumentem eorum Deo commendant, &  
ut studiis benedicere, actiones fortunare velit pii &  
sollicitis precibus Deum venerantur. Et is quidem  
aliquorum vota exaudit, aliquorum suis ex causis, non  
item. Hinc evenire videmus ut non nullos crapula-  
occidat, alios nocturnæ larvæ ac turbæ ita multent,  
ut in sanitatis & vitæ periculum veniant, alii de vita  
non tam exeant quā ejiciantur. Huic justissimæ que-  
relæ quanta nobis area, campus quam latus explicet  
tur ipsa res ostendit, non etiam nullam occasionem  
suppeditat exemplum pii modesti & eruditii juvenis  
HENRICI WOLFI HAMBURGENSIS, de cuius vita & obitu  
breviter agemus. Natus est Hamburgi, in urbe non  
Germaniæ tantū, sed Europæ & extra Europam lon-  
gè lateq; notissima, patria nostra dilectissima & loco  
matris dulcissimæ veneranda, Anno, ut accepimus,  
hujus seculi duodevigimo aut proximo ex pa-  
rentibus pii, honestis & modestis. Pater enim ei-  
fuit JOHANNES WOLFUS Vir non ineruditus, præter  
cæteras enim literas, Theologicis præcipue operam  
in penderat, ut concionibus ad populum habendis i-  
doneus esset: tamen cum occasio daretur templi,  
quod à SPIRITU SANCTO nomen habet, custodiam sibi  
commendari passus est, cui etiam per undecim annos  
præfuit fideliter, mortuus ante annos quasi novem.  
Mater CATHARINA Schröders ex honestissima fami-  
lia oriunda, quæ adhuc in vivis est & hoc filii carissimi  
duo

C 2

casu

casu insperato in summum haud dubie miserorem &  
luctum dabitur. Horum parentum quanta diligentia  
& sollicitudo fuerit in hoc unico filio educando, &  
instituendo facile adsequetur, quisquis beneficii de-  
hoc genere divini compos unquam factus est: neque  
ista cura parum bene & feliciter cessit: siquidem à pri-  
mo regenerationis & renovationis per baptismi lava-  
crum initio semina & succum pietatis una cum lacte  
ex uberibus maternis hausit. Ea paulatim augmenta-  
ceperunt, ut in ludo literario non parentibus tantum  
& præceptoribus, sed quibuslibet aliis probarentur.  
Pietati cultæ adjunxit, pueris & adolescentibus con-  
venientissimam, & pene propriam virtutem mode-  
stiam, ornamentum ejus ætatis peculiare: qua factum  
est, ut studia ejus primariis viris curæ essent, quam &  
libenter suscepserunt & sedulo egerunt, ea spe, fore ut  
aliquando patriam Ecclesiam studiosa & fideli opera  
juvaret, idq; eo magis, quod pater, ut dictum est, ante  
annos novem ex vivis discesserat & matri soli curam  
educandi filii reliquerat. Verum successit huic defun-  
cto non solum in matrimonio & custodiendi templi  
officio, sed eo magis in paterna educandiprivigni qui-  
dem, sed filii loco dilecti cura, Vir honestus & fidelis  
**DIDERICUS HESTERBERG** / qui suam istam sollicitudinem  
& multis aliis documentis testata reddidit & eo ser-  
mone peculiariter, quem proxima aestate cum istic es-  
sem, semel atq; iterum habuit, licet obiter & in via  
pub.

publica. Nondum erat mihi de facie notus eo tem-  
pore, quem accuratè mihi commendabat filius, rece-  
pi tamen quam primum, volente Deo domum rever-  
sus essem, nihil mihi prius vel potius futurum, quam  
ut sedulo, faceré, quod serio rogarer. Vocatus igitur  
adolescens, comparet non invitus, ut solent male cō-  
sciī, sed animo præsenti & vultu verecundo. Cui cū  
exposuissem quæ à patre jussus eram, nō nullius quo-  
que errati adolescentioris mentionem faceré, de cæ-  
tero quoq; admonerem, ne vulgo se, vitam & famam  
cōtaminaret, nihil hic tam occulte geri, quod rumor  
illuc non proderet, ita me audivit, ut ex virtutis colo-  
re facile appareret serium pænitentiæ & mentis me-  
lioris studium. Quod eo magis deinde visum est, cū  
paucis septimanis post ad me rediret cum literis à Re-  
verendo & eruditissimo Viro Dn. M. JOHANNE STE-  
MANNO Ecclesiaste ad S. Nicolaum Hamburgi fidelissi-  
mo, fautorē & amico meo honorando, quibus ille  
contendebat, ut HENRICUS in convictum & contu-  
bernum meum reciperetur. Constitueram quidem  
nullum deinceps admittere, sed amico roganti deesse  
non potui, quod ipse adolescens putaret, nonnullam  
suæ salutis, incolumitatis & emendationis partem ea  
in re sitam esse. Admisi igitur & speravi fore ut fau-  
toribus & amicis Hamburgensis ostenderem, ita  
me erga ipsos affectum esse, ut ipsos erga me meosq;  
affectiones vellem atq; optarem. Verum s̄pè non licet

C 3

homini

homini ita esse, ut vult, multo minus agere quæ velit.  
Vix enim bis terve pransus & cenatus erat, ac ne id  
quidem pro sano & recte valente, cum inciperet con-  
queri de horrore febrili, de respiratione, de insomnia,  
jam enim hostem apostematicum in pulmonibus ex  
causa non ignota natum sovebat: Restitit quidem a-  
liquandiu, & ut potuit, morbum tulit, sed tandem in  
lectum se conjicere coactus est, ex quo tandem per in-  
tervalla surrexit, cum se meliusculè habere putaret.  
Tandem cum sentiret vim crescentis morbi medicū  
Virum Clarissimum & Experientissimum Dn. D. Jo-  
ACHIMUM STOCMANNUM Collegam & amicum ho-  
norandum vero voluit, qui & libenter accessit &  
hostem in occulto latentem, suis autem indiciis & si-  
gnis proditum deprehendit. Nihil ille quidem inter-  
misit omnium, quæ ad naturæ vires confirmandas,  
morbi autem minuendas facerent, sed apostema jam  
ruptum & superveniens continua febris vivendi si-  
nem ei accelerarunt. Quod cum adstantes animad-  
verterent prius, quam ipse æger, fecerunt omnia, quæ  
tali in casu fieri solent ac debent, precando, legendo,  
confirmando, quorum ille pietatem atq; fidem sua  
adprobatione secutus est, ut non voce solum, sed a-  
liis quoq; evidentiibus indiciis ostenderet, in vera se-  
cognitione DEI & Servatoris Dn. JESU CHRISTI  
in vera fide & spe vitæ æternæ hanc mortalem finire,  
& immortalem alterā auspicari, Ecce stadium, quod  
adole-

adolescens viginti annorum spatio absolvit, ecce iter,  
quod emensus est, quanto citius, tanto melius. Igitur  
adolescentis quidem ipsius vicem dolendam nō cen-  
seο, qui felici permutatione ex morte in vitam, ex  
turbidis periculis in portum & locum securum, ex A-  
cademia terrestri in cælestem se recepit: nihil est, quod  
in ea scurrilium, & honestissimo studiosotum ordine  
indignarum actionum injurias formideret, nihil omnium ho-  
rarum homines, à quorum violentia non parum in-  
ipso quoq; morbo sibi metuebat. Ab his omnibus ille  
immunis cum Deo in S. angelorum & hominum ele-  
ctorum choro securum agit ævum. Parentum vicem  
dolerem, nisi pii, nisi Christiani essent. Hi enim in  
hoc suo filio spem senectutis collocarunt, hanc sibi  
nunc aderatam putant: ab illo nutritia, & jure qui-  
dem, postulabant; hæc sibi nunc intercepta conque-  
ruuntur; alia multa sibi prolixe pollicebātur, quæ nunc  
evanuisse vident ac dolent: verū ut pii sunt, ut Chris-  
tiani, sic omnes illas dolendi causas unico Christia-  
næ pietatis, fidei & patientiæ scuto excipient atq; cō-  
futabunt. Cum enim Deum Patrem nostrum in O-  
ratione Dominica profiteamur quotidie, cur de pa-  
terna ejus voluntate & cura dubitemus? Quin bene  
factum sit, quod à Bono, imò summo Bono factu m-  
esse novimus? quin providè, quod ab ipsa providen-  
tia? Hæc & ejus generis alia pios & Christianos pa-  
rentes

rentes cogitare oportet, quæ doloris nebulam dissipare possunt. Sed homines ita plerumq; comparati sumus, ut acerba atq; tristia in animo identidem voluntamus, læta quæ sunt facile obliviscamur aut vix cogitemus. Terrem semijustum è foco qui tollit, non ea parte arripit, qua candet, sed qua ignem nondum concepit. Quin imitamur, & hos casus urentes tangimus partibus lætioribus? Sed hæc iis a genda relinquo, qui consolationis officium in officina S. literarum funguantur, quorum alloquio Deus efficaciam Spiritus S. adspirare dignetur. Vos Academiz Cives, quorum promitudinem in obsequendo jam semel atq; iterum expertus sum, denuo hortor, ut in hujs etiam funeris comitatu præstetis, quod in prioribus præstitistis. Adeste frequentes, & honorem Deo, magistratui, commilitoni vestro in honesto ac liberali obsequio sicutum exhibete. Gratum id erit Deo, magistratui, & ipsi beato vestro commilitoni, qui vestrum erga se affectum ipsi Deo prædicabit; Parentes quoque moestissimi non nulla sui mœroris parte levabuntur. Rostochii sub sigillo Recti-  
ratus P. P. die 27. Octobr. 1638.

publica. Nondum erat mihi de facie nō  
pore, quem accuratē mihi commendabā  
pi tamen quam primum, volente Deo do-  
sus essem, nihil mihi prius vel potius futu-  
rit sedulo, facerē, quod serio rogarer. V  
adolescentis, comparet non invitus, ut so-  
scii, sed animo præsenti & vultu verecū-  
exposuisset quæ à patre Iussus eram, nō  
que errati adolescentioris mentionem fa-  
tero quoq; admonerem, ne vulgo se, vit  
cōtaminaret, nihil hic tam occulte geri  
illuc non proderet, ita me audivit, ut ex  
te facile appareret serium pænitentia &  
lioris studium. Quod eo magis deinde  
paucis septimanis post ad me rediret cu-  
verendo & eruditissimo Viro Dn. M.  
MANNO Ecclesiaste ad S. Nicolaum Har-  
simo, fautore & amico meo honorando  
contendebat, ut HENRICUS in convic-  
bernum meum reciperetur. Constitu-  
nullum deinceps admittere, sed amico  
non potui, quod ipse adolescentis putar-  
suæ salutis, incolumentis & emendati-  
in re sitam esse. Admisi igitur & spera-  
toribus & amicis Hamburgensibus of-  
me erga ipsos affectum esse, ut ipsos e-  
affectos velle atq; optarem. Verum

C 3



the scale towards document